



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XVII. Dinæ violatio, & inde consecuta. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

gulari verborum humanitate conditis, ita placavit
 animum hominis, cæteroquin horridi & asperi, pri-
 stinis ut odiis in amorem versis, exciperent sese mu-
 tuis amplexibus & osculis, multa cum officiorum
 significatione; quibus persolutis, ab invicem digres-
 si, Esavus Idumæam (quæ & *Seir*, & *Edom* dicitur)
 repetiit; Jacobus quoque prosecutus iter, locum,
 ubi tentoria fixit, *Socothum* denominavit, indeque
 post aliquot menses discedens, juxta urbem *Salemum*,
 ditionis Sichimorum, confedit in agro centum ag-
 nis coëmptô, arâ ibidem Numini erectâ, cum in-
 scriptione *ARA DEI FORTIS ISRAEL*. ut etiam lapides
 loquerentur illum, cujus, ut validam erat operam
 expertus Jacobus, ita cupiebat monumentis æternis
 religionem propagatam.

NAR. XVII
 DINÆ JACOBI FILIÆ,
 VIOLATIO. ET INDE CON-
 SECUTA SICHEMITARUM CLADES.
 Genes. 34. Anno M. 2035. ante Ch. 1748.

Nimirum heu! multis vidisse, perijsse fuit.
 Urbs erat in Chananitide, cui nomen *Sichem*
 aut *Sichar*, (secundum quosdam *Salem*
 postea, aut *Salemum* dicta, dissentiente Saliano) in
 ejus urbis vicinia, agrum emerat Jacobus, ubi con-
 stitutus tabernaculis, araque (uti memoravimus)
 exstructâ cum familia ampla habitabat. Ubi &
 provinciæ imperabat *Hemor*, cujus filius *Sichem*, in

voluptates effusior, licentiam vivendi ducebat à potentia dominandi. Fortè *Dinam*, Jacobi filiam, jam nubilem, formæ supra cæteras puellas venustæ, curiositas impulerat urbem Sichimorum visendi, morésque fœminarum urbicos, & studia cognoscendi; virgines enim coævæ tunc magno numero sive ad nundinas, sive festum quodpiam solenne convenerant; quas ut ipsa videret, videri simul cupiebat. Rarò sine periculo prodit in publicum cultiore veste formæque castitas. Exijt Dina Penelope, redijt Helena. Vix oculis libavit puellam *Sichemus*, cum flammam in pectus attraxit, coepitque ardere simul & amare, efflictimque deperire. Mox abreptus cupiditate virginis potienda, cum lenocinijs ad flagitium pertrahere non posset, vitium obtulit reluctanti. Ita nimirum, quasi flos pulcherrimus simul & tenerrimus in fœminis pudicitia fama, ad levem marcescit auram; flatu corrumpitur. Illam, ut par erat, illati dedecoris injuriam, indignissimè ferentem, vindicæque minas spirantem, conatur pudoris prædo blanditijs lenire, spem facere conjugij, quo culpæ simul & ignominia macula abstergeretur. Nec ipsa, ut fœminarum est ingenium, visa est aspernari nuptias. Quare *Sichemus* amoribus suis, jam honestis fruiturus, adit parentem *Hemorem*, instat, urget, obsecrat, sibi ut Jacobum, Dinæ patrem, exoptatasque nuptias conciliet. Cæterum ejus rei rumor jam antè ad Jacobum pervolârat, & ab hoc ad filios, Dinæ fratres. Oritur omnium indignatio gravissima, & abolendæ injuriæ cupiditas. Interea adest *Hemor*, petit filio suo uxorem *Dinam*, offert

offert mutua connubiorum foedera ac commercia; munera praeterea dotalia, & quidquid pro delicto factis dandum exposceretur. Simulant fratres Dina, eam societatem haud displicere, sibi; modo affinitas, ut esset stabilior circumcissione corporum, juxta ritum Hebraicum, sanciretur; gliscente interim sub pectore meditata saevitia. Acquiescunt sectioni Hemor, & filius, eamque suis persuadent civibus. Fluit undique sanguis, unius ad hominis libidinem extinguendam. Itaque stratis omnium voluntario de vulnere corporibus, die tertia, qua maxime dolor exacerbatur, Israelitae occasione vindictae utendum rati, consurgunt furiosè, ductoribus Simone & Levi, armatique urbem ingressi, crudelem agunt stragem inter Sichimitas, ex recenti sectura decumbentes, ac invalidos ad resistendum; mares omnes interfecti. Irrumpunt suis cum manipulis caeteri quoque fratres, non tam caedis, quam praedae participes futuri; urbs omnis diripitur, greges, armenta, uxores parvis cum liberis in captivitatem abducuntur. Tanti stetit vel ira, cum in rabiem vertitur; vel amor, cum libidine insanit. Vesana crudelitas merito gravissime Jacobum affecit; quippe cujus mores ab omni saevitia plurimum abhorrebant; tantoque detestabilior accidebat ei juvenum furiosorum immanitas, quod videbat illam conjunctam, cum summa perfidia & sacrilegio; quando ad dirum facinus perpetrandum non dubitarunt praeferores ultores Sacramento circumcissionis, quo nihil religiosius apud eam gentem habebatur, abuti. Et erant illi facinori alia quoque scelera involuta, Quid enim tanta

ta supplicij atrocitas in eos, qui pro damno illato
facere fatis, dareque paratos se ostendebant; quid
cædes tot innocentium, & nulli culpæ affinium;
quid direptio ædium, fortunarum, agrorum; quid
in servitatem abstractio pecorum, hominumque,
in quos nullum jus hostilitatis, nulla iusti furoris
caussa? Accedit maxima temeritas, quæ Jacobum
cum omni familia in præsentissimum internecionis
discrimen coniecit, quod imminebat ab ijs, quo-
rum communia odia & arma, barbaræ crudelitatis
exemplum provocavit; hæssissetque dubio procul
ultio in tergis nocentium, nisi vicinarum civita-
tum vindices manus avertisset Divini providentia
Numinis, mirifico favore Jacobum protegentis.
Auxit gravitatem sceleris obstinatio peccantium,
dum cædium & rapinarum auctores, objurgati à pa-
rente, nihil pacati respondent; &, tanquam furor
tot sævitæ argumentis nondum exsatiatus esset,
perseverant justitiam prætexere vindictæ, juris
omnis & modi limites excedentis. Nempe cum
pudorem profligavit contumacia, virtutum nomi-
na sceleribus imponuntur; & quod malè fit, longè
peius defenditur.

NAR. XVIII.
VARIA JOSEPHI PA-
TRIARCHÆ FORTUNA

Genes. 37. & seqq.

ET fortuna misera est sine inimico, & virtus sine
hoste marcescit; utraque enim non nisi agi-
tata